PLATO. ARISTOTELES

Entstehungsort unbestimmt (Tirol?), 3. Viertel 15. Jh. Seite 42v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35041
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



P. Candidi decembris oratoris in libro policie platonis
tercio ad illustrissimum et literatissimum principem dominum
ducem cloucestrensem Prologus incipit feliciter

Sepe me a rebus constitutis perscribendis admiratio virtutis tue rapit princeps illustrissime et ad tuum unicum contemplandum et extollendum nomen avertit ut in parte quamquam operis meis tibi dignas universi gratias putem referendas. Nam cum iusticie decus habunde superioribus libris a Socrate explicatum foret in quis non modica ad virtutem tuam excitandam addebatur exhortatio. Secuta est ea disputatio que de stodum eruditione egregie instituta non mediocrem ad bene beateque vivendum laudem attulit. Quid enim in hac vita utilius excogitari potest quam homines his moribus et disciplinis instituere ex quibus non sibi solis sed ceteris etiam tum patrie in primis ute utiles esse queant. Nulla quippe res est que ab eruditis viris tantopere laudetur nulla que humano generi maiorem videatur utilitatem alatura. Nam qui a rebus gerendis se ipsos abdicarunt et tedio quidem humanarum passionum semota quedam et amena loca delegere in quibus ut aiunt soli animo vocandum sit hii profecto ut nulla laude sic omni irrisione videntur prosequendi qui cunctorum rectorem et opificem deum eorum tutele vacare autument cum ipse ipsi reliquis omissis somno ventri et inertie vacent solum eiusque mirandi fama deliniti pigritiam et ignaviam conentur obtegere. Quippe ambitione aut forma destituti cum res humanas minus libidini ac voluptati eorum parentes conspexere a silum quoddam pavide ac contenende vite delegerunt busta inventia. Verum hos cum sua ignorantia reliquamus. Ut autem ad te redeam princeps illustrissime cum plurimos bellorum triumphos insignesque victorias